

## VERSION LATINE

### Éloge d'un ami qui vient de mourir

C. PLINIUS NOVIO MAXIMO SVO S.

Nuntiatur mihi C. Fannium decessisse, qui nuntius me graui dolore confudit, primum quod amaui hominem elegantem, disertum, deinde quod iudicio eius uti solebam. Erat enim acutus natura, usu exercitatus, ueritate promptissimus. Angit me super ista casus ipsius ; decessit ueteri testamento, omisit quos maxime diligebat, prosecutus est quibus offensior erat. Sed hoc utcumque tolerabile, grauius illud, quod pulcherrimum opus imperfectum reliquit. Quamuis enim agendis causis dstringeretur, scribebat tamen exitus occisorum aut relegatorum a Nerone et iam tres libros absoluerat subtiles et diligentes et Latinos atque inter sermonem historiamque medios ac tanto magis reliquos perficere cupiebat, quanto frequentius hi lectitabantur. Mihi autem uidetur acerba semper et immatura mors eorum qui immortale aliquid parant. Nam qui, uoluptatibus dediti, quasi in diem uiuunt, uiuendi causas cotidie finiunt ; qui uero posteros cogitant et memoriam sui operibus extendunt, his nulla mors non repentina est, ut quae semper inchoatum aliquid abrumpat.

Caius quidem Fannius quod accidit multo ante praesensit. Visus est sibi per nocturnam quietem iacere in lectulo suo compositus in habitum studentis, habere ante se scrinium (ita solebat) ; mox imaginatus est uenisse Neronem, in toro resedissee, prompsisse primum librum quem de sceleribus eius ediderat eumque ad extremum reuoluisse, idem in secundo ac tertio fecisse, tunc abiisse. Expauit et sic interpretatus est, tamquam idem sibi futurus esset scribendi finis, qui fuisset illi legendi ; et fuit idem.

PLINE LE JEUNE